

cepto obligante, sed solum medium. Sicut, si Rex complexens in suo mandato medium, & finem diceret Duci: pugnando vince, pugna ut medium caderet sub obligatione, non victoria, quæ est finis; esseque Dux transgressor præcepti, si non pugnaret, secus si pugnando non vinceret. Hanc esse Aug. mentem, colligitur ex ipsomet, tum Ep. 200. ubi dicit: *Ad eam consummationem quandoque venimus, ubi peccati concupiscentia non cohibenda, atque frenanda, sed nulla sit. Hoc lex posuit dicendo: Non concupisces; non quod hic valeamus, sed ad quod perficiendo tendamus.* Tum quia ipso cit. cap. 3. de nupt. agnoscit, quod ipsa concupiscentia jura non est peccatum in regeneratione, quando illi ad illicita opera non consentitur.

Inst. Aug. l. 4. contr. Jul. cap. 2. dicit, quod concupiscentia nocet etiam non consentientibus. Et l. 5. cap. 3. *Concupiscentia carnis, inquit, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia illi inest inobedientia contra dominium mentis, & pars peccati est... & causa peccati est.* Et libr. 6. c. 8. *Neque nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctentur, etiam si vincere non sinantur:* ergo. R. ad 1. Concupiscentiam nocere non consentienti, non quod ipsum peccati reum efficiat, sed quia minuit spirituales mentis delectationem, dum in concupiscentia reprimenda occupatur. Ita seipsum explicat Aug. loco cit. Ad 2. Sensus est, quod concupiscentia, adversus quam bonus concupiscit spiritus, sit peccatum non in his justis, qui contra eam luctantur, quamdiu luctantur; sed vel in aliis, quibus dominatur, vel etiam in ipsis justis, dum ab eis aliquem levem, & imperfectum consensum obtinet. Hoc est enim, quod significant illæ particule, *quia inest illi obedientia contra dominium mentis*, quatenus vel ipsum dominatum mentis aut everit, aut concutit, ipsique imperfecte latere prævalet. Potest etiam dici, quod Aug. sumit peccatum late pro vitio, & infirmitate naturæ ut a Deo instituta; quia agebat contra Pelagianos, qui dicebant concupiscentiam non esse malum, & infirmitatem naturæ, sed rem prorsus indifferentem. Ad 3. Sumit ibi iniquitatem pro eo, quod est in aliquo genere inordinatum, & vitiosum, licet non sit propriè peccatum, nisi ipsi consentiatur. Quo etiam sensu explicandus est Ambrosius libr. de Isaac, & anima cap. 8. dum dicit concupiscentiam esse iniquitatem.

Quod iterum ex Aug. opponi potest ipsum dicere, quod concupiscere sit peccatum, & vitium, intelligendum est vel de motu concupiscentiæ voluntariæ, vel de peccato ad sensum Apostoli, pro eo quod est ex peccato, & ad peccatum inclinatum. Eodem sensu intellige Hieronymum in cap. 5. Matth. ubi dicit, motum citra consensum habere culpam vitii, id est, habet defectum, qui merito culpandus est, eo quod incitet ad peccatum, neque illi ad rationem peccati propriè dicti desit nisi consensus voluntatis. Vide infra Dissert. 5. art. 3. §. 1. Concl. 2.

Difficilius explicatur S. Bonaventura, qui in 2. d. 21. circa textum Mag. sentent. dicit, quod tentatio carnis nunquam sit in nobis sine veniali culpa. Et dist. 24. art. 2. q. 2. quod delectatio ex apprehensione antè adversionem delectationis sit peccatum veniale. Undè quidam existimant fuisse oppositæ sententiæ. Alii tamèn dicunt, ipsum sumere culpam generalitèr pro vitio, & inordinatione, quæ est præter ordinem rationis, aut esse intelligendum de tentatione carnis, seu delectatione, quæ sit quidem antè adversionem perfectam, non tamèn imperfectam, sicut subdit aliquo modo imperio rationis. Pro quo vide, si lubet, Sylvium hic art. 3.

Obj. 3. ex S. Thom. Præter ea, quæ ex S. Doctore jam opposita sunt §. præced. & præsentia in fine probationum, iterum

DISSERTATIO V.

DE CAUSIS PECCATORUM.

D. Thom. a Quæst. 75. ad 80.

ARTICULUS I.

Prænotanda de causis peccatorum in generali.

Nota 1. Quadruplicis generis sunt causæ, materiali, formali, efficiens, & finalis. Causam materiale, in qua subjectatur peccatum, esse præcipuè voluntatem, diximus Dissert. præced. Causam formalem peccati commissionis esse or-

objicitur ex 2. Sent. d. 21. art. 2. ubi ponit hoc discrimen inter tentationem a carne, & tentationem a mundo, & Diabolo, quod tentatio a carne sit peccatum in eo, qui tentatur, non verò tentatio a mundo, & Diabolo, nisi delectationi accedat consensus. Similiter 3. p. q. 41. art. 1. ad 3. dicit: quod tentatio a carne non possit esse sine peccato: ergo. Ad 1. ommissis variis responsionibus, R. cum Sylvio hic, quod S. Thom. non loquitur de omni tentatione a carne, sed de ea sola, quæ est aliquo modo in potestate rationis; quod probat laudatus Theologus his momentis 1. Quia S. Doct. dicit loc. cit. sic: *Non enim sola caro concupiscit, sed conjunctum.* Quando autem est motus, qui nec imperfectè quidem subest rationi, sola caro concupiscit, & non conjunctum. 2. Quia ibidem in Resp. ad 5. agnoscit tentationem a carne ex dispositione corporis, quæ juxta ipsum nullatenus habet rationem peccati. 3. Quia in eadem Resp. de motu illo, qui est peccatum, dicit, quod Diabolus non possit illum extorquere; certum est autem, quod Diabolus possit extorquere motum concupiscibilem, qui nullo modo subest imperio rationis.

Inst. Juxta hanc interpretationem non stat discrimen positum a S. Thom. inter tentationem a carne, & tentationem a mundo, & a Diabolo, quod illa sit peccatum in eo, qui tentatur, & ista non, nisi adsit consensus: ergo. Prob. Ant. Secundum datam interpretationem utrobiquè debet adesse consensus, ut sit peccatum: ergo. R. N. Ant. Ad probationem D. Ant. secundum datam interpretationem debet utrobiquè adesse consensus eodem modo, N. Diverso modo, C. Itaque tentatio, quæ est a mundo, & Diabolo, cum sit tota ab extrinseco, non potest esse peccatum, nisi illi jam exortæ accedat consensus, cum tunc tantum tentatus incipiat cooperari tentanti; sed tentatio, quæ est a carne, potest esse peccatum etiamsi illi postquam exorta est, non consentiatur, quia potuit esse voluntaria in suo ortu; cum enim sit a principio intrinseco, & interdum potuerit impediri, ne oriretur, si ratio sufficienter vigilasset, & sensualitatem bene gubernasset; dum in hoc deficit ratio, etsi tentationi jam exortæ non consentiatur, adest tamèn quidam consensus tacitus, & imperfectus, quo permessa est exurgere, ex quo habet, quod sit peccatum veniale. Ad 2. S. Thom. vel sumere peccatum late, sicut Apostolus, pro eo quod est ex peccato, & ad peccatum inducit, aut pro quodam defectu, indecentia, & inordinatione materiali, & objectiva. Vel intelligit peccatum originale, sine quo prævio non esset tentatio a carne, quia illa provenit ex vitio naturæ per peccatum originale corruptæ. Quo vis modo intelligas, sufficit intentio D. Th. vult enim ibi probare Christum non fuisse tentatum a carne, quia tentatio a carne non est sine peccato: sive autem intelligas peccatum late dictum, sive peccatum originale, utrumque repugnat Christo.

Dices: Si motus primoprimum, & quos inviti patitur, nullatenus essent peccata, liceret eis complacere, & consentire; Falsum Consequens: ergo. R. N. Sequelam, quia, licet isti motus in se non prohibeantur; quia non sunt voluntarii, nec actus humani soli capaces præcepti, quia tamèn sunt inordinati, & circa objectum malum, prohibetur, ne voluntas illis consentiat.

Foret hic locus agendi cum Auctore de delectatione mortalia, & plura circa illam inquirendi, an, & quando sit peccatum mortale? An sit licitum se habere negativè ad illam? An contrahat omnes malitias objecti? Sed quia hæc, & plura alia eandem materiam spectantia lato satis calamo exposui in Tract. de Temperantia Dissert. 6. art. 15. per varios §§. & quæ ibi dixi, circa materiam veneream, extendi possint ad alias materias, ne actum agam, illuc Lectorem remitto.

dinem ad objectum, a quo sumit speciem; peccati omissionis formam, seu virtutem, qua privat; finalem ipsum objectum, aut id, quod præter objectum intendit operans, patet ex Dissert. 2. Tandem causam efficientem esse præcipuè ipsam voluntatem sequitur etiam ex Dissert. præced. ubi dixi, voluntatem esse efficientem actus peccaminosi in ipsa immanentem.

Nota 2. (Hic q. 75. art. 1. o.) Peccatum esse actum inordinatum: ex parte actus habet causam per se efficientem, sicut quilibet alius actus: ex parte inordinationis habet causam per

accidens efficientem, eo nempe modo quo privationes possunt habere causam. Hæc autem causa est voluntas carens directione regulæ rationis & legis divinæ, intendens aliquid bonum commutabile. Quatenus intendens bonum est per se causa actus; quatenus intendens illud bonum absque directione regulæ est causa per accidens & præter intentionem inordinationis actus; defectus enim ordinis in actu provenit ex defectu directionis in voluntate.

Nota 3. Ex præcedenti notamine habes, quod voluntas præter defectum materiale seu peccabilitatem, quam habet ex hoc, quod sit ex nihilo, & quæ tempore præcedit peccatum, aliam habeat, liberum scilicet recessum a lege, seu carentiam directionis regulæ, qui natura tantum præcedit actum malum. Quia effectus liber determinatus, qualis est actus malus, non potest procedere nisi a causa liberè determinata ad illum. In illo ergo priori naturæ, quo voluntas intelligitur determinata ad actum malum, jam intelligitur ille defectus liber regulæ, seu non subjectio ad regulam. Neque tamèn indè sequitur, voluntatem peccare antè peccatum, quia non est peccatum, nisi sit actus, qui in illo priori nondum intelligitur: undè ille defectus regulæ non est peccatum, nisi concomitantè & ut conjungitur actu malo. Vel etiam dici potest, quod sit peccatum, non formalitèr & completè, sed inchoativè & in fieri; scilicet enim determinatio libera voluntatis est inchoatio actus, ita ipse ejus defectus est inchoatio peccati.

Nota 4. (Ibid. art. 2. o.) Actus peccaminosi duplex generalitèr assignari potest causa efficiens, una interior, altera exterior. Interior duplex, una immediata & proxima, scilicet ratio & voluntas, secundum quam homo est liber arbitrio: altera mediata & remota, scilicet apprehensio sensitiva partis & appetitus sensitivi, ita ut sint quatuor causæ interiores peccati. Primò itaque sensus proponit appetitum bonum delectabile, appetitus in illud inclinatus allicit rationem, ut illud probet, ratio deficientis a consideratione regulæ illud approbat & voluntati præsentat, cui voluntas consentiendo complet rationem peccati. Non est tamèn necesse, quod in quolibet peccato omnes istæ quatuor causæ concurrant.

Causa exterior (Ibid. art. 3. o.) peccati dicitur, quæ ad illud mover causas interiores, scilicet vel voluntatem, vel rationem, vel appetitum sensitivum. Voluntatem interius movere non potest nisi solus Deus, qui nequit esse ullo sensu causa peccati. Undè relinquatur, quod nihil exterius possit esse causa peccati, nisi vel in quantum movet rationem, sicut homo vel demon suadens peccatum, vel prout movens appetitum sensitivum, sicut sensibilis exterioria.

De his itaque omnibus peccati causis in speciali acturi, (Q. 76. in præm.) dicemus 1. De interioribus, deinde de exterioribus. Circa interiores 1. Agemus de ignorantia, quæ est causa peccati ex parte rationis. 2. De infirmitate, seu passione, quæ est causa peccati ex parte appetitus sensitivi. 3. De malitia, quæ est causa peccati ex parte voluntatis.

ARTICULUS II.

An, & quæ ignorantia sit causa peccati, eaque ipsa sit peccatum?

Suppono hic ex Tract. de Act. Hum. Dissert. 1. art. 9. varias Ignorantiæ divisiones, præsertim eam, quæ est in antecedentem, concomitantem, & consequentem. Et ut paucis repetam: antecedens est, quæ sic antecedit omnem actum voluntatis, ut sit involuntaria & moralitèr invincibilis; estque causa, cur actus fiat; qui non fieret, si abesset. Concomitans est, quæ paritèr antecedit omnem actum voluntatis, estque involuntaria & invincibilis; sed non est causa, cur actus fiat, cum ea absente æquè fieret. Consequens est, quæ sic sequitur aliquem actum voluntatis ut sit vincibilis & voluntaria, saltèm indirectè in sua causa, scilicet negligentia sciendi, est tamèn causa, cur fiat actus; qui non fieret, si abesset. Indè spontè fuit resolutio difficultatum propositarum in titulo articuli. Undè

Dico 1. (Hic q. 76. art. 1. o.) Ignorantia potest esse causa peccati, non per se, quia cum sit privatio & non ens, non potest per se influere in actum; sed per accidens tanquam removens prohibens, quatenus removet scientiam, quæ si adesset, peccatum non fieret.

Dico 2. (Ibid.) Ignorantia concomitans non est causa peccati, quia non removet scientiam, quæ si adesset, impediret peccatum, sed ea presente æquè fieret. Ignorantia antecedens & consequens sunt causa peccati, quia tollunt scientiam, quæ si adesset, prohiberet peccatum: cum hæc tamèn differentia, quod antecedens sit tantum causa actus peccati, seu peccati, non formalitèr, sed materialitèr sumpti, quia actus ex illo sequens, quoad circumstantiam peccati, est involuntarius, cum ista circumstantia sit invincibilitèr ignorata; consequens autem sit causa peccati formalitèr, quia actus sequens ex illa, etiam quoad rationem peccati formalis est voluntarius, cum hæc ratio sit voluntariè & invincibilitèr ignorata. De ignorantia antecedente, seu invincibili Juris divini & naturalis, an detur & an excuset a peccato, fusius dicemus in sequentibus.

Dico 3. (Ibid. art. 2. o.) Ignorantia invincibilis non est peccatum: vincibilis eorum, quæ quis scire tenetur, est formalitèr in se peccatum, non tamèn ratione sui, sed ratione negligentie addiscendi. Omnes autem scire tenentur communitèr 1. Ea, quæ sunt fidei. 2. Universalis Juris præcepta. 3. Singuli, quæ ad suum statum & officium pertinent. Ratio 1. partis; quia ignorantia invincibilis, cum non sit in potestate nostra eam vincere; dicitur enim invincibilis, quia moralitèr superari non potest, non est voluntaria; patebit magis ex dicendis infra. Ratio 2. partis; quia ommissio voluntaria actus debiti est formalitèr in se peccatum; atqui ignorantia vincibilis eorum, quæ quis scire tenetur, est ommissio voluntaria, saltèm indirectè, in negligentia addiscendi actus debiti, nimis debite cognitionis: ergo.

Intellige ignorantiam actualem, seu prout conjungitur cum sua causa, scilicet negligentia; quia, si sumatur habitualitèr, cum tunc non sit in actu secundo & in exercitio voluntaria, non est secundum se peccatum, sed est sicut alii habitus (quibus secundum se non meremur, neque demeremur) vel effectus, vel principium peccati. Et indè habes, quod, qui culpabiliter ignorat, quæ scire tenetur, non continuo peccet toto tempore quo ignorat, sed tunc demum dum adest tempus acquirendi scientiam & negligit; tum quia tunc solum est ignorantia actualis, tum quia ignorantia est ommissio; in peccato autem ommissionis quis non continuo peccat, dum non agit, sed tunc solum quando obligatur agere.

Ratio 3. partis. Quia scire secundum se non est actus moralitèr bonus, cum scientia, cujus est actus, non sit virtus moralis, sed intellectualis; est autem dumtaxat moralis, quatenus elicitur, vel imperatur a virtute studiositatis, seu exercetur secundum regulas illius: ergo ignorantia non est secundum se malum morale, sed solum ut est a vitio studiositatis oppositò, quod est negligentia. Confirmatur: Seclusa omni negligentia, ignorantia non est voluntaria: ergo non est formalitèr peccatum in se, nisi ratione negligentie. Et bene adverte, nos non negare ignorantiam esse in se peccatum: sed dicimus habere, quod sit in se peccatum ratione culpabilis negligentie addiscendi; sicque ignorantiam & negligentiam non esse duo peccata distincta, sed ex utroque integrari unum peccatum, sicut ex actu interno & externo, ex actu imperato & imperante constituitur unum peccatum.

Petes 1. Utrum ignorantia culpabilis eorum, quæ quis scire tenetur, sit peccatum speciale distinctum à peccatis, quorum est causa. Antè respon. observandum, quod sit quædam ignorantia rerum, quas homo non tenetur scire propter ipsas, sed propter aliquod opus hic & nunc faciendum, vel omittendum; ut ignorantia quorundam factorum, seu circumstantiarum, seu Juris particularis, v. g. ignorantia, quod hæc mulier, ad quam accedis, sit conjugata; quod sit hodie vigilia S. Matthæi; hæc enim non teneris scire propter ipsas, sed ratione operis hic & nunc omittendi, vel ponendi. Altera est ignorantia rerum, quas homo tenetur scire propter ipsas, & non solum propter opus hic & nunc ponendum, vel omittendum: qualis est ignorantia Mysteriorum fidei, præceptorum communium Decalogi & Ecclesie, & eorum, quæ pertinent ad statum & officium. Hæc distinctio præmissa.

R. 1. Ignorantia rerum, quas homo non tenetur scire propter ipsas, sed propter opus hic & nunc faciendum, vel vitandum, non est peccatum speciale distinctum à peccato, quod ex ea sequitur; quia non alio titulo quis tenetur scire illas res, quam ratione operis hic & nunc faciendi, vel omittendi; sicque totam malitiam desumit ab isto opere: non secus ac actus aliunde bonus, vel indifferens, qui est causa omissionis culpabilis, totam suam malitiam desumit ab omissione, & unum dumtaxat peccatum constituit cum illa. Hinc, qui accedit ad non suam ignorans vincibiliter esse conjugatam, unum tantum peccatum adulterii committit: similiter, qui non jejunat in Vigilia S. Matthæi ignorans vincibiliter esse vigiliam; sufficite dicere in Confessione: commisi adulterium, non jejunavi in vigilia S. Matthæi; absque eo quod accuset suam vincibilem ignorantiam.

2. Ignorantia verò rerum, quas homo propter ipsas tenetur scire, est peccatum speciale distinctum à peccato, cujus est causa, oppositum studiositati. Non enim tunc ignorantia sumit suam malitiam ab effectu, seu peccato consequente, sed eam secundum se, habet, quatenus est contra præceptum scientiæ, quæ res propter ipsas, & non propter opus hic & nunc ponendum, vel omittendum. Hinc, qui ex ignorantia vincibili In-

carnationis blasphemaret in Christum, duplici peccato peccaret, ignorantie contra studiositatem infusam, & blasphemie contra Religionem: similiter, qui ex ignorantia, quod adulterium sit peccatum, illud committeret. Item Confessarius, Judex Medicus, qui ignorat vincibilitatem ea, quae sunt sui muneris, aut status, hoc ipso peccat peccato speciali ignorantiae; & si inde male operetur, aut sit periculum proximum male operandi, aliud peccatum distinctum committit. Non enim ista tenetur scire praecise ratione operis hic & nunc faciendi, aut omittendi, ut in prima responsione, ubi talis obligatio est transiens cum opere, sed ratione status, & ideo est permanentis.

Petes 2. Quae ignorantia censeatur invincibilis? R. Multi existimant, tunc ignorantiam esse invincibilem, quando nullum occurrit dubium, aut suspicio de re, quae ignoratur; aut si occurrat, non possit adhibita sufficienti diligentia superari. De hoc secundo non est dubium, patet ex terminis. Est tantum explicandum, quae sit diligentia sufficiens; quod examinabimus modo.

Primum autem probant, quia homo non potest se applicare ad inquirendum & ad cognoscendum, nisi praecedat aliqua cogitatio, qua voluntas primo moveri possit (non enim homo se applicat nisi per voluntatem), voluntas autem non potest se primo movere, nisi praevia cognitione, non voluntaria, cum praecedat primam volitionem, sed naturalis, aut ab extrinseco proveniente: ergo, quando nulla fuit talis cogitatio, qua voluntas se moveret, & applicaret intellectum ad considerandum & addiscendum, non est in potestate hominis ad ista se movere, ac per consequens ignorantia, quae ista occasione manet, reputanda est invincibilis. Ita Doctus. Sylvius hic q. 76. art. 3. questio 3. Concl. & plures alii.

Sed id ego existimo intelligendum cum grano salis, & sub aliqua modificatione. Equidem verum puto quoad viros timoratos, qui de sua salute solliciti moraliter bene vivunt, & curant instrui, ac scire, quae sunt sui muneris: quia propter rationem datam hi non aliunde quam ex dicta cogitatione videntur habere potentiam proximam, & moralem depellendi ignorantiam. At non puto universaliter verum. Sunt enim, qui affectant & volunt ignorare, ut ii, qui Job 21. dicebat Deo: *Redde a nobis, & scientiam viarum tuarum volumus*. Sunt in quibus, ut docet S. Thom. infra q. 94. art. 6. deleta est lex quoad notitiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos. Sunt denique, & utinam non tam multi, suae salutis prorius incurii, soli mundo servientes, passionibus per omnia indulgentes, nihil suas obligationes, aut scire, aut implere curantes, officiis ex sola ambitione, aut cupiditate inhiantes, ad quorum administrationem capacitatem nec habent, nec habere curant & volunt. His porro & similibus non occurrit dubium, aut suspicio de his, quae ignorant & tenentur scire; neque tamen potest dici, eos illa invincibiliter ignorare, nisi velis plura & enormia eorum flagitia excusare.

Neque obstat ratio, superius allata: quod enim hi & similes non habeant ullam cogitationem de his, quae ignorant, aut de cogitatione inquirendi, id ipsis est voluntarium indirecte, quatenus voluntarie apponunt ei obstaculum per determinatam & affectatam voluntatem nihil sciendi, per absolutam incuriam inquirendi, per pravis habitus & passionibus, quas fovent, & quibus obsecantur respectu peccatorum, quae ex his passionibus & habitibus profluunt. Etenim effectus, sequens ad causam voluntariam, si fuerit in ea praevius, aut potuerit moraliter praevideri, est indirecte voluntarius & imputabilis, ut alibi diximus. Hi autem, de quibus loquimur, bene praevideant, aut saltem facile praevidere possunt, se ex sua determinata voluntate nihil sciendi, ex absoluta incuria inquirendi, ex pravis habitibus, &c. de multis, ad quae tenentur, nihil cogituros, & ea ignoraturos. Atque hanc exceptionem admittit videtur ipse Sylvius loco citato, ubi in fine conclusionis agnoscit ignorantiam esse vincibilem & voluntariam indirecte illi, cui per negligentiam, seu culpam acciderit, quod nulla cogitatio ei obveniret. Non sic tamen quasi omnis incogitatio, aut ignorantia ex quavis culpa sit indirecte voluntaria & imputabilis, sed ea demum, ut jam dixi & dicam adhuc art. seq. quae praevia fuit, ut potuit moraliter praevideri securata ex culpa. Haec omnia redibunt infra, dum de inadvertentia ad peccatum. Confer.

Petes 3. Quae diligentia censeatur sufficiens, ut ignorantia dicatur invincibilis & involuntaria? R. Id non posse certo determinari, sed relinquendum esse iudicio Confessarii, ut viri prudentis. Quia pro diversa conditione personarum, rerum, & praceptorum diversa est adhibenda diligentia, & quae in una re facili, aut levis momenti, & respectu illiterati posset esse sufficiens, respectu alterius rei difficilioris, & gravioris momenti, aut viri docti, foret insufficientis. Generaliter tamen loquendo dici potest cum eodem Sylvio ibid. Concl. 1. non esse ne-

cessarium, quod quis adhibeat diligentiam simpliciter summam, id est, quod faciat totum, quod in se est; sed sufficit, si adhibeat diligentiam moralem, eam scilicet, quam viri prudentes & timorati solent adhibere in simili negotio. Exemplum habes in Jacob, cuius ignorantia respectu Liae fuit invincibilis, licet non adhiberit, ut poterat, lumen, aut non provocaverit Liam ad loquendum, ut exploraret, an esset sua; quia viri prudentes & timorati non solent id facere. Unde regulariter loquendo videtur sufficere indocto, si consulat doctos & probos; quia id est medium ordinarium, quod adhibere solent timorati. Quod si non inveniat doctos & probos, quos consulat, debet implorare per orationem auxilium divini luminis. Doctus debet implorare libros & leges plus, vel minus secundum rei momentum: in difficilioribus conferre cum viris doctis, & ad orationem recurrere.

Ea vero, quae specialiter spectant proprium statum, seu officium, communiter observant Theologi raro invincibiliter ignorari: quia quisque per se loquendo tenetur & potest scire, quae sunt sui officii: ita quod, si propter ingenii hebetudinem, aut aliunde, non possit ea scire, debeat officium abdicere. Et hoc sensu intelligi potest illud vulgatum Juris: *Scire & debere scire aequivalentur*. Dixi: raro & per se loquendo; quia per accidens & aliquando possunt invincibiliter ignorari. Quando nempe aliquis juxta officii & personae qualitatem adhibuit moralem diligentiam ad sciendum, & multa scit, sed pauca, vel difficilissima, vel raro contingentia, vel de quibus nihil illi venit in mentem, ignorat. Sequitur ex dictis, & alioquin nemo rita conscientia posset assumere officium Judicis, Advocati, Confessarii, Medici, &c.

ARTICULUS III.

Utrum possit dari ignorantia invincibilis Juris positivi divini.

Præter ea, quae art. præced. de notione ignorantiae invincibilis diximus, insuper observandum est, quod tamen ex dictis sequitur; quod, ut aliqua ignorantia censeatur vincibilis hoc sensu, quod imputetur ad culpam, non sufficit, quod quis possit illam physicè vincere, sed requiritur, quod possit moraliter. Potest physicè illam vincere, quando habet quidem in sua potestate media, sed ignorat ea esse ordinata & idonea ad illam vincendam & acquirendam rei notitiam. Potest autem moraliter, quando habet dicta media in sua potestate, & cognoscit ea esse ordinata & idonea ad illam depellendam & acquirendam notitiam: quia, sicut jam pluries diximus, ut effectus consequens ad aliquam causam sit voluntarius & imputabilis, debet esse praevius, aut potuisse moraliter praevideri in causa. In 1. autem casu ignorantia non potest praevideri securata ex omissione mediolorum, potest in 2. Nemo, excepto Luthero, negat posse dari ignorantiam invincibilem Juris humani, & a fortiori facti: sed quidam negant posse dari Juris divini positivi, & Juris naturalis. Primam questionem hoc art. resolvemus, secundum seq.

Dico: Potest dari ignorantia invincibilis Juris positivi divini, non solum apud Infideles, quibus non est annuntiatum Evangelium, sed etiam apud Fideles, quibus est annuntiatum. Prima pars est certa, & admittitur ab omnibus orthodoxis, praesertim post condemnationem hujus propositionis: *Infidelitas negativa, in quibus Christus non est praedicatus, peccatum est*. Est 68. inter Baianas. Dicitur infidelitas negativa, carentia fidei in eo, cui fides non est annuntiata, vel non sufficienter. Datur ergo carentia seu ignorantia fidei apud Infideles, quae non est peccatum, consequenter invincibilis.

Prob. 2. Secundum legem Dei ordinariam unicum medium cognoscendi mysteria fidei est praedicatio Evangelii, juxta illud Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante?* Unde Christus Joann. 15. dicit de Judaeis: *Si non venissem & locutus fuisset eis, peccatum non haberent*, scilicet infidelitatis, ut interpretatur Aug. Tract. 89. in Joann. ubi dicit, eos, quibus Christus non est locutus per se, vel per suos Ministros, habere excusationem non de omni peccato, sed de hoc peccato, quo in Christum non crederunt. Item Tract. 91. & q. 52. in Deuter. similiter Doctor Angelicus loc. cit. in margine. Et hinc fluit secunda pars, quam negat unus, aut alter, in hoc singulare contra unanimum sensum aliorum. Si enim, quia Evangelium nullo modo est annuntiatum Infidelibus, potest in illis dari ignorantia invincibilis & inculpabilis omnium mysteriorum & praceptorum fidei; ergo id inter fideles, quibus non est sufficienter annuntiatum, seu quoad quaedam praecipta, possunt illa invincibiliter & inculpabiliter ignorare: quia quod facit defectus promulgationis totius legis respectu Infidelium, hoc facit defectus promulgationis hujus praecipti respectu personae particularis; praesertim cum ex uno praecipto cognitio non possit deduci aliud, quocum non habet connexionem.

Con-

Confirmatur 1. Lex divina positiva non magis ingerit sui notitiam, quam lex humana; atqui potest dari ignorantia invincibilis legis humanae: ergo. Confirmatur 2. Pueri, dum ad usum rationis perveniunt, successive instruntur a Parentibus, aut Magistris de mysteriis & praecipis fidei, nec omnia simul eis proponuntur: antequam autem pervenerint ad notitiam quorundam v. gr. sumendi Eucharistiam, Confessionis faciendae, possunt mori; nemo tamen dicit, eos propter hanc ignorantiam esse damnatos: ergo non erat culpabilis ergo invincibilis.

Solvuntur objectiones.

Obj. contra 1. partem. Omnis ignorantia legis positivae divinae, saltem necessariae ad salutem, est culpabilis: ergo vincibilis. Prob. Ant. Oritur ex culpa; si enim homo se converteret ad Deum, ut debet & potest ex auxilio gratiae, quod Deus nemini denegat, ut diximus in 1. p. Deum ipsum de scitu necessarius ad salutem instrueret, vel per internam inspirationem, vel per Praedicatorum, ut docet S. Thom. Lect. 3. in cap. 10. Rom. & alibi; atqui ignorantia, quae sequitur ex culpa, est culpabilis: ergo. R. N. Ant. Ad probat. D. Min. Ignorantia, quae sequitur ex culpa, est culpabilis, si in culpa fuit praevia, aut potuit humano modo praevideri, C. Si neque praevia fuit, neque potuit humano modo praevideri, N. Ut enim effectus sequens per accidens ad aliquam causam voluntariam sit voluntarius & imputabilis, debet, sicut jam toties dixi, esse praevius, aut posse moraliter praevideri securatus ex illa causa. Hi autem, de quibus est questio, neque apprehendunt, neque moraliter apprehendere possunt conversionem suam ad Deum esse medium ordinatum, & idoneum ad depellendam ignorantiam fidei, de qua nequidem cogitant, aut cogitantur unquam. Confer, quae dixi Tract. de Deo, Dissert. 7. art. 8. Obj. 5.

Inst. Omnis adultus potest salutem consequi, ut patet ex dictis art. 8. cit. ergo potest depellere ignorantiam eorum salutem, quae sunt scitu necessaria ad salutem. R. D. Conseq. ergo potest physicè depellere ignorantiam, &c. quatenus potest instrui a Deo, & de facto instrueretur, si se ad ipsum converteret, C. Conseq. potest moraliter, ita ut ipsi imputetur ad culpam, si non depellat, N. Quia nescit se posse, neque quod ex sua conversione notitia necessaria sequeretur. Non autem imputatur, quod quis possit moraliter assequi finem, quem cognoscit, & possit tantum physicè assequi media, quaedam ea non cognoscit.

Obj. 2. Infidelitas negativa opponitur virtuti: ergo est vitiosa. Prob. Ant. Opponitur fidei: ergo. R. N. Ant. Ad probat. D. Ant. Opponitur fidei, quatenus fides pertinet ad intellectum, C. Quatenus pertinet ad voluntatem, & procedit ex pio eius affectu, N. Fides autem non est virtus, nisi quatenus est voluntaria, seu procedit ex pio affectu voluntatis. Subsumes; atqui infidelitas negativa, seu carentia fidei est voluntaria homini: ergo. Prob. Subsumptum: sicut fides erat pars justitiae originalis, sic carentia fidei est pars carentiae justitiae originalis; atqui carentia justitiae originalis est voluntaria homini, cum in ea situm sit peccatum originale: ergo. R. N. Subsumptum: Ad probat. N. Conseq. ergo carentia fidei est voluntaria homini, voluntate capitis, Transcat: Voluntate personae, N. Unde sequitur tantum, quod carentia fidei sit pars peccati originalis, sicut fides erat pars justitiae originalis; non autem, quod sit peccatum novum & personale a peccato originali distinctum, quod hic quaeritur.

Obj. 3. contra 2. partem. S. Thom. Quolib. 3. art. 1. o. dicit: *In his, quae pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem alicujus Magistris; in talibus enim ignorantia non excusatur: alioquin immunes a peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Ariti, Nestorii, & aliorum Haeticorum*: ergo. R. S. Thom. loqui de his, qui sequuntur opinionem alicujus Magistris evidentè erroneam, ut patet ab exemplis Ariti & Nestorii, quae profert, & formalibus terminis exprimit ibidem sic concludens articulum: *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistris contra manifestum Scripturae testimonium, sicut contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesiae auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari*.

Obj. 4. Fidelis adultus potest per orationem, & bona opera obtinere a Deo cognitionem totius legis divinae: ergo nulla est illius ignorantia invincibilis. R. N. Ant. 1. Quia non potest potestere id, de quo nunquam audivit, nunquam cogitavit. 2. Dato quod petat, nullibi revelatum est, aut promissum Deum illi collaturum. S. Thom. & S. Bonaventura perierunt, & tamen alteruter ignoravit, dum iste docuit peccatore teneri statim ad poenitentiam, ille non teneat. Et sic de aliis.

Si dicas, scriptum esse in Evangelio: *Petite & accipietis*; & communiter docere Theologos, facienti, quod est in se ex

gratia, Deum non denegare gratiam ulteriorem. R. Haec esse vera de necessariis necessitate medii ad salutem, non de aliis: sunt autem pleraque praecipta Legis Evangelicae, quorum notitia non est necessaria necessitate medii ad salutem.

Inst. Deus vult suam legem observari: ergo nemini denegat ejus notitiam. R. D. Ant. Deus vult suam legem observari ab his, qui illam cognoscunt, C. Ab his, qui illam invincibiliter ignorant, N.

Repones: illa lex est inutilis, quae sciri non potest: ergo. R. D. Ant. Quae sciri non potest, id est, a nullo & pro nullo tempore, C. Quae sciri non potest secundum quid, id est, ab aliquibus; a pluribus autem scitur, N. Sic est autem Lex Evangelica.

Quaedam argumenta, quae proponi possunt ex Aug. solvuntur in articulis sequentibus.

ARTICULUS IV.

Utrum possit dari ignorantia invincibilis Juris naturae.

Nota praecipta Juris naturae communiter cum Auctore distinguuntur in tres classes. (Infr. q. 100. art. 1. o.) Quaedam sunt prima & universalissima, quae potius sunt principia aliorum praeciptorum, quam praecipta, ut: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Secundaria magis determinata sunt, quae ex primis immediate, & facili discursu deducuntur, ut sunt praecipta Decalogi. Tertiaria sunt, quae in utrisque obscurè continentur, & ex his mediate, atque difficili discursu deducuntur; ut sunt praecipta, quae prohibent certos contractus ut usurarios, aut simoniacos, & alia plura. Convenit inter Theologos, non posse dari ignorantiam invincibilem de primis praeciptis, neque de secundariis secundum se consideratis in adultis perfectum usum rationis habentibus; quia prima sunt per se nota, & ex sola terminorum apprehensione intelliguntur. Secundaria ex primis deducuntur immediate discursu facili, & omnibus obvius, cuius etiam rudiores sunt capaces. Dixi: *De secundariis praeciptis, secundum se consideratis*; quia, si considerentur ut vestita circumstantia bona, & apparenter excusante a peccato, ut mentiri leviter ad salvandam vitam innocentis, furari ad succurrendum graviter indigenti, &c. probabilis est cum Sylvio, Salmanticensibus, & pluribus aliis posse invincibiliter ignorari, saltem a rudioribus, & ad aliquod tempus; quia ratione hujus circumstantiae fiunt obscura, & redeuntur ad tertiam classem.

Questio est igitur de praeciptis remotioribus, & obscurioribus tertiae classis. Quidam contendunt, nec de illis posse dari ignorantiam invincibilem. Ita scilicet 1. Quod nunquam excuset a toto peccato, licet possit excusare a tanto, & de mortali facere veniale. 2. Quod sit semper vincibilis, non speculative, sed practice, quando hic & nunc agendum est contra Jus naturae. 3. Quod sit vincibilis hoc sensu, quia si homo faceret, quod potest & debet, certo Deus illum illuminaret, aut saltem averteret occasionem agendi contra Jus naturae. Ita Daelman, & plures Lovanienses. Contra quos

Dico: Dari potest in adultis perfectum usum rationis habentibus ignorantia invincibilis Juris naturae quoad praecipta remotiora & obscuriora, quae dicuntur tertiae classis. Est hinc communissima inter Theologos, exceptis laudatis Lovaniensibus, & paucis aliis.

Prob. 1. ex Aug. S. Doctor l. 1. de Serm. Dom. in monte c. 16. postquam narravit factum mulieris Antiochena, quae consentiente marito, & jubente copiam sui corporis fecerat alteri, ut ab eo aut libram acciperet, qua maritum a captivitate, & injusta morte liberaret, non audeat definire, quod isti conjuges peccaverint; & cuique permittit estimare, quod voluerit, quia isti conjuges nulli modo judicaverant, sub istis circumstantiis, actum illum esse adulterinum; atqui, si nulla posset dari ignorantia invincibilis Juris naturae, clarum est & certum istos conjuges peccasse, maritum jubendo, uxorem faciendi copiam sui corporis alteri, etsi quae aperit falsum, eos nullo modo judicasse suum factum esse adulterinum: ergo Aug. non censuit impossibilem esse ignorantiam invincibilem Juris naturae in hoc casu. Si autem in hoc casu, a fortiori in aliis remotioribus & obscurioribus.

Scio, Adversarios respondere, Aug. non dubitasse, an hi conjuges peccaverint, sed tantum an haec historia esset vera, quia, ut ibidem dicit: *De divinis auctoritatibus non est de prompta*. Attamen, si tota series textus Aug. attentè perpendatur, verius apparet ipsum non dubitasse de veritate hujus historiae quoad substantiam, sed tantum de hac circumstantia, an revera nullo modo isti conjuges judicaverint suum factum esse adulterinum, consequenter an possint excusari a peccato. Etenim, postquam generaliter statuit adulterium etiam consentien-

riente comparte esse illicitum, subdit: *Quamquam nonnullae causae possunt existere, ubi uxor ex mariti consensu pro ipso marito hoc facere debet videatur, sicut Antiochie factum esse perhibetur.* Vides, ipsum jam innuere rationem dubitandi, an sit aliquando licitum; in cuius confirmationem narrat praefatam historiam cum omnibus circumstantiis temporum, eventuum, & personarum plures nominando, absque ullo iudicio, quod ipse, vel alius de ea dubitet, & loquens de marito dicit: *Nullo modo iudicans actum illum esse adulterium, quod & libido nulla, & magna mariti charitate, imò se iubente & volente flagitaret:* quibus sic narratis pergit: *Nihil hic in altera-ram partem disputo: liceat cuique aestimare quod voluit;* non an id fecerit isti conjuges, de hoc enim, ut dixi, nullatenus apparet, quod dubitaverit; sed an peccaverint id faciendo, verumque esset, quod nullo modo iudicaverint hoc factum esse adulterium, conformiter ad id, quod prius dixerat; quod *nonnullae causae possunt existere,* &c. Et ad id, quod posterius addit, quod hoc narrato facto non ita respicit sensus humanus huiusmodi commixtionem, sicut respicit, cum prius sine ullo exemplo definit esse illicitum. Cum autem subjungit: *Non enim de divinis auctoritatibus de prompta est historia,* hoc dicit, ut rationem redderet illius, quod immediate ante dixerat: *licet cuique aestimare, quod voluit;* quia, si fuisset ex Sacris Scripturis de prompta, esset certo credendum hos conjuges nullo modo iudicasse actum illum esse adulterium, sique non peccasse.

Prob. 2. Ex Alberto Magno, qui in 2. d. 12. art. 10. dicit: *Ignorantia juris est duplex; quia quoddam est jus universale, quod omnibus imponitur ad sciendum; & quoddam est particulare, quod non scitur nisi per studium; & pro quod prima est crassa & supina, non excusans. Secunda autem excusans, vel a tanto, vel a toto, si est casus multum difficilis.* Et S. Antonin. 2. p. Summae tit. 5. c. 9. §. 2. *Cum aliquis dubitat, inquit, de aliquo facto, vel sciendo, utrum sit licitum, vel illicitum? Et consilii peritos, & facit quod in se est ad invenendam veritatem; si sibi consulatur contrarium veritati, quod ille sequitur, satis excusatur, quia potest dici in eo ignorantia invincibilis.*

Prob. 3. Auctoritate & ratione D. Thom. infra quaest. 100. art. 2. ubi dicit: *Quaedam sunt (praeccepta legis naturalis) ad quorum iudicium requiritur multa consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cuiuslibet, sed sapientium, sicut considerare particulares conclusiones scientiarum non pertinet ad omnes, sed ad solos Philosophos.* Et infra: *Quaedam sunt, quae subtiliori consideratione rationis a sapientioribus iudicantur esse observanda; & ista sic sunt de lege naturae, ut rationem indigeant disciplina, qua viros a sapientioribus instruantur.* Et art. 11. ejusdem quaest. *Quaedam sunt, quorum ratio non est adeo subtilis manifesta, sed solum sapientioribus; & ista sunt praeccepta superaddita Decalogo.* Subsumo; atqui non omnes sunt, aut esse possunt sapientes, non omnes sunt capaces subtilioris considerationis, aut difficilioris discursus, nec omnibus conceditur instrui a sapientioribus: ergo juxta S. Thom. & rei veritatem obscuriora legis naturae praeccepta, quae sunt conclusiones remotae primorum, possunt invincibiliter ignorari, non secus ac conclusiones remotae scientiarum. Respondent 1. Adversarii, praeccepta remota, & obscura legis naturae posse ignorari invincibiliter speculative, sed non practice, & de ignorantia speculativa intelligendum esse S. Thom. Sed contra 1. Ideo secundum D. Thom. ut placet adversariis, praeccepta remota juris naturae possunt ignorari invincibiliter speculative, quia sunt difficilia, obscura, & subtilioris considerationis; atqui non sunt minus, imò sunt magis difficilia & obscura in praxi, quam in speculatione, propter diversas circumstantias, quas involvit praxis: ergo. 2. S. Thom. scripsit hanc partem in ordine ad praxim, ut dicam infra: ergo loquitur de ignorantia etiam in praxi. Quod ita verum est, ut dum q. 94. ejusdem partis art. 6. dicit quaedam praeccepta posse ignorari propter pravae habitus, loquatur secundum Adversarios de ignorantia in praxi, siquidem inde desumant argumentum contra nos. Si, si in isto loco, cur non in alio? ergo est liberaliter ficta, imò & falsa responsio.

Respondent 2. Quod, si homo expurgaret affectus & habitus pravae, qui juxta S. Thom. q. 94. art. 6. sunt causa, cur lex naturalis a cordibus nostris deleatur quantum ad notitiam, liceret illi hanc legem a natura illi inscriptam legere in corde suo. Ita Steyartius. Sed contra: Etsi quaedam praeccepta legis naturae, secundum se facilia & manifesta, qualia sunt secundaria, de quibus loquitur S. Thom. loco cit. ut dicam infra, per pravae affectus, & habitus circa illa hiant obscura & ignorantur; sunt tamen alia secundum eundem D. Thom. ex se obscura & difficilia, quae indigent subtiliori consideratione & discursu, cuius non omnes sunt capaces, sed sapientiores dumtaxat: & haec per expurgationem pravorum affectuum

& habituum non fiunt clariora, cum circa illa nihil immutet ista expurgatio; quapropter ea non obstante remanent obscura, difficilia, & subtilioris discursus, cuius soli sapientiores sunt capaces, consequentur ab aliis invincibiliter ignorata. Unum de viri, etiam sanctissimi, non obstante pravorum affectuum & habituum expurgatione, quaedam ex illis invincibiliter ignorarunt, ut dicam modo. Et sane mirum foret, quod per solam vitam sanctimoniam, quotquot illam colerent, fierent subiles & docti, intelligerentque ea, quae viri doctissimi post plurimum saeculorum studia nondum potuerunt attingere. De hoc iterum plura modo.

Respondent 3. Quod, si homines orarent, ut debent, Deus ipsos illuminaret, aut amoveret ab illis occasionem agendi contra legem naturalem; quod cum omittant, voluntaria & culpabilis est eorum ignorantia. Ita iterum Steyartius. Et hoc est praecipuum hujus sententiae fundamentum. Antè solutionem suppono tanquam certum ex infra dicendis, ignorantiam invincibilem Juris naturae, si detur, excusare a peccato formali operantem ex ea, sique cum tali ignorantia posse salvari. Quo supposito, ad instantiam respondent eruditiss. Salmaticensis Tom. 4. Tract. 13. n. 15. *Regulariter non tenent homines adhibere praedicta media (orationem & penitentiam) sed alia communiore & ordinata per se ad acquirendam scientiam, uti est querere idoneum & securum Magistrum, vel qui talis appareat, illumque interrogare: qua diligentia adhibita, si adhuc ignorantia permeneat, censetur invincibilis. In aliquo tamen casu possit ut gere obligatio recurrendi ad orationem, vel ad alia opera interna, puta, si Ignarus non inveniret, quem interrogaret, aut esse dubius de securitate Magistri, nec posset alium invenire, per quem securè dubium Juris naturali deponeret.*

Respondet Reverendissimus P. Gonzalez, Praepositus Gener. Societ. Jesu, de recto usu opinionum probabilium, Dissert. 3. §. 4. n. 45. *Ad ordinariam Dei providentiam non pertinere semper, & in omni eventu (nisi ille foret de necessitate media) cuiuscumque homini etiam facienti, quod in se est, communitate per semetipsum notitiam remotè etiam contentorum in primis principiis. Cum enim Deus voluerit homines ignorantes gubernare per homines doctos, & aliquid voluerit etiam permittere, ut res esset sub lite, & disputatione inter Doctores Catholicos, utque multi probi & sapientes, post totius questionis diligentem discussionem, & accuratum examen, atque post fixas ad Deum preces, sine ulla culpa traderent aliquando doctrinam, quoad Conclusiones remotas, legi naturali contrariam; hoc ipso voluit consequenter permittere, ut homines Tutorati possent sine culpa sequi doctrinam illam, quoad Conclusiones remotas, tamen si ipsa legi naturali contraria: Cuncta enim Deus fecit bona, & mundum tradidit disputationi eorum, Eccli. c. 3. Neque ullum est fundamentum ad asserendum, quod Deus homini, facienti, quod in se est, cum auxiliis ordinariis gratiae, manifestare debeat illarum Conclusionum veritatem, quam post diligens studium, & fusas ad Deum preces Doctores sanctissimi, & sapientissimi assecuti non essent. Conclusionum ergo remotarum a primis principiis, ac difficultiorum potest dari ignorantia invincibilis in eo, qui veritatem querit ad operandum: sicut datur in Doctore, qui illam querit ad docendum.*

His Responsionibus subscribitur, juxta ea quae superius diximus de notione ignorantiae invincibilis; quas ut confirmemus.

Prob. 4. Conclusio, evertendo fundamentum adversario- rum, & simul corroborando rationes, & solutiones jam datas. Juxta Adversarios illa ignorantia Juris naturae debet censeri vincibilis, quae potuit vinci 1. studio & inquisitione humana: 2. Expurgatione pravorum affectuum, & habituum: 3. Orationis assiduitate: 4. Recto usu eorum, quae jam sciuntur: sunt enim hi quatuor modi, quibus Steyartius, & alii Lovanienses dicunt ignorantiam Juris naturae esse vincibilem: ita ut si illis positus non vincatur, erit invincibilis; atqui datur ignorantia Juris naturae, quae his omnibus adhibitis vinci non potuit: ergo. Prob. Min. S. Hieron. Ep. 11. apud Aug. docuit simulationem esse licitam, & erravit. Cassianus collat. 17. & alii docuerunt mendacium officiosum, puta, pro liberatione Patriae, esse licitum, & erraverunt. S. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. docet, Judicem teneri condemnare innocentem juridicè probatum nocentem; S. Bonaventura docet contrarium: alterutrum erravit circa Jus naturae. A pluribus saeculis Doctores Catholicis, & sapientissimi disputant circa hunc casum, & plures alios spectantes Jus naturae, puta, circa quosdam contractus, an sint usurarii, aut simoniaci, &c. atqui hi omnes supradicta media adhibuerunt: nefas esset id negare de sanctis Ecclesiae Doctoribus, S. Hieron. S. Thom. S. Bonaventura; temerarium negare de aliis: ergo.

Respondent Adversarii, hos sanctos Doctores & alios errasse speculative tantum, & non practice. Sed contra: Ut de aliis sileam, S. Thom. composuit 2. & 3. partem suae Summae in

in ordine ad mores formandos, peccata vitanda, virtutes exercendas, Sacramenta administranda, & recipienda, & singulariter hunc articulum, de quo est questio, pro officio iudicis ritè exercendo, quae omnia ad doctrinam practicum pertinent: ergo, si erravit, practice erravit, & non speculative tantum: sicut Doctor Thomista nunc erraret, si consultus a Iudice responderet secundum sententiam S. Thomae. Non enim erit tantum praxis agere, sed & agenda docere, & consulere; neque ille solus reus est practice, qui facit malum opus, sed etiam qui ei cooperatur docendo, consulendo, consentiendo. Neque dicat, S. Thom. non dedisse securitatem; ille namque censetur dare securitatem, qui docet aliquid absolute ut verum, & obligatorium, sicut fecit S. Thom. in casu praesenti, & in pluribus aliis. Et esto non dederit securitatem aliis, nihilominus ipse erravit in ordine ad praxim, cum sic docendo non ignoraret fore, ut multi sequerentur ejus doctrinam.

Hoc argumento pressi, & oppressi quidam Recentesiores, cum nodumolvere non possint, audacter secant, & dicunt SS. Doctores, nominatim S. Thomam, si erraverint circa Jus naturae docendo in ordine ad praxim, *Aliquid humani passos fuisse, & venialiter peccasse in re obscurissima.* Infero ergo SS. Doctores, nominatim S. Thom. non adhibuerunt media ab adversariis assignata, scilicet, aut non satis studuerunt, aut non bene purgaverunt affectus suos, aut non rectè uti sunt illis, bene sciebant, aut tandem non sufficienter oraverunt? Die Sordes, die praesertim de S. Thom. qui legitur plus oratione acquisivisse, quam studio, & jejunium in difficultioribus orationi adhibuisse, qui puritate vitae, & doctrinae praestantia Doct. Angelici titulo meruit decorari. Ille non adhibuit sufficienter media a te gratis facta? Si non adhibuit sufficienter: die quò usque debeant adhiberi: die quis adhibet, adhibuit, aut adhibebit unquam sufficienter. Si, inquam, ille non adhibuit sufficienter tua media, & ideo venialiter peccavit; infero iterum ergo & nos, & nobiscum plures ex adversariis, pace eorum dixerim, qui insulso penè intervallo distant a sanctitate, & vigilantia horum Sanctorum, praesertim Doct. Angelici, certo certius peccamus moraliter, quoties contingit nos docendo, aut consulendo, errare circa Jus naturae in materia gravi, quia tanto major est culpa, quanto gravior est negligentia in adhibendis mediis. Quis haec ferat? Non itaque inculpo, quod dixerint isti Recentesiores, Sanctos non semper fuisse immunes a peccatis venialibus; hoc ultro fateor: sed quò dixerint eos peccasse venialiter in determinata materia, in qua se praestantissimos exhibuerunt, & singulariter ab omnibus laudantur, sique non solum absque ullo fundamento, sed omnibus in contrarium reclamantibus; hoc dico esse a ratione prorsus alienum, temerarium, & irreligiosum, satiusque illis fore, si suam sententiam abdicarent, quam ad haec absurda confugere.

Confirmatur 1. praecedens probatio. Sine ulla ratione, aut fundamento dicunt Adversarii, quòd Deus facientem quod in se est, secundum assignatos modos infallibiliter illuminabit, aut praeservabit ab occasione agendi contra legem naturalem. Quae enim esse potest ratio, aut fundamentum hujus providentiae infallibilis? An ut caveatur peccatum formale? Sed non erit peccatum formale, si Deus non illuminet; quia tunc erit ignorantia invincibilis, quae etiam fatentibus adversariis excusatur a peccato formali. An, ut caveatur peccatum materiale contra legem naturae? At peccatum materiale nihil nocet, & Deus ipse permisit Jacob amico peccare materialiter contra legem naturalem accedendo ad non suam. Neque refert hic, quòd hoc contigerit ex ignorantia facti, & non juris, cum perinde sit peccatum materiale contra legem naturae. Quòd autem Daëlmán dicit turpius esse ignorare rem esse intrinsecè malam, quam illam facere, omnino falsum arbitror. Ideo enim iuxta ipsum ignorare rem esse intrinsecè malam est turpe, quia hoc est contra lumen naturale infusum; atqui illam facere est praxiter contra legem naturaliter infusam. Sicut ergo in Jure divino positivo non est minus turpe, imò meo saltem iudicio, turpius, concubare corpus Christi in Eucharestia ex ignorantia invincibilis facti, quòd sit Hostia consecrata, quam ignorare invincibiliter praesentiam realem; ita similiter in Jure naturae. Quando ergo legimus in Scriptura: *Peite, & accipietis.* Jo. 16. *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropriet;* Jacob. 1. *Dei ubi metuenti us te significaverint, ut fugiant a facie actis.* Ps. 19. *Hec, & similia intelliguntur, quòd Deus oranti, & facienti quod in se est ex gratia, illuminet quoad ea, quae sunt necessariae necessitate mediè, & ad vitanda peccata formalia.*

Confirmatur 2. facientem, quod in se est, ex gratia secundum praedictos modos Deus non semper illuminat quoad ea, quae sunt Juris divini positivi, ut communitè admittunt adversarii: ergo nec quoad ea, quae sunt Juris naturalis.

Respondet Daëlmán, disparitatem esse 1. Quòd lex natura-

lis contineat intrinsecè bona, & mala, non lex positiva divina 2. Quòd lex naturalis sit nobis promulgata cum natura, quae consequenter non cedit ignorantiae nostrae; sed lex positiva, quae ideo potest cedere ignorantiae nostrae. Sed contra primum: ergo lex naturalis contineat intrinsecè bona, & mala, & non lex positiva: Quid tum? Inde ne sequitur, quòd Deus infallibiliter illuminabit circa legem naturalem facientem quod in se est, & non circa legem positivam? Nullatenus. Non est enim necessaria connexio inter Antecedens, scilicet Consequens, praesertim cum utrobique sit tantum peccatum materiale, & nobis constet Deum non semper impedire peccata materialia etiam in justis contra legem naturalem, ut patet in Jacob, & Noe. Ad 2. N. Legem naturalem esse nobis promulgatam actu cum natura quoad remotiora: potest equidem dici nobis insita cum natura in primis principiis, ex quibus deducitur; at nobis actus promulgatur per dictamen, & actualiter discursum, quem non habent, qui ignorant invincibiliter, & cuius non omnes sunt capaces circa remotiora, & difficiliora.

Prob. 5. Ab inconvenienti. Si nulla detur ignorantia invincibilis, & inculpabilis Juris naturae, non licebit sequi opinionem inter probabiles probabilissimam circa illud Jus, si quidem probabilissima possit esse falsa; sunt enim falsa, inquit Philosophus, quandoque probabiliora veris; atqui falsum consequens, ut patet ex damnatione propositionis, quae ad assererebat, & ex dictis de probabilitate art. 3. ergo.

Respondent quidam, quòd, qui agit ex sententia probabilissima falsa, non peccet quidem contra conscientiam, sed contra legem tantum. Verum quid interest, quod non peccet contra conscientiam, si peccet formaliter contra legem: id enim sufficit, ut non sit licitum sequi hanc sententiam; si quidem nunquam sit licitum sequi sententiam, quam sequendo peccamus, ex quovis capite proveniat peccatum, sive ex parte legis, sive ex parte conscientiae. Undè ista Responsio videtur eludere argumentum, & non solvere. Alii igitur dicunt, reversa non esse licitum sequi sententiam inter probabiles probabilissimam falsam contra Jus naturae. Propositionem autem, quae dicebat non esse licitum sequi opinionem inter probabiles probabilissimam, fuisse damnatam, quia est generalis, & comprehendit etiam opinionem probabilissimam circa Jus positivum, quam fatentur esse licitum sequi.

Infero ergo saltem in materia Juris naturalis semper eligendum erit tutius. Sicut recurrit omnia inconvenientia, quae contra hanc duriorum, & singularem sententiam deduximus Dissert. de Probabilitate art. 3. require ibi. Inter multa hoc unum accipe. Stante adversario- rum sententia, nullus Confessarius, nullus Judex, nullus Advocatus potest sine peccato exercere suum munus; quia, cum in utroque foro frequenter occurrant casus circa justitiam, in quibus non apparet, quod sit tutius, quia utrumque est periculum alicui nocendi, quidquid resolvat Confessarius, Judex, aut Advocatus, peccabit, quia se exponit periculo proximo errandi, & violandi legem naturalem; ille enim peccat, qui se exponit periculo proximo peccandi.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Scriptura nusquam excusat Gentiles olim peccantes contra legem naturae, sed e contra eos sine distinctione damnat: sic Rom. 2. *Quicumque sine lege peccaverint, sine lege peribunt.* Rom. 5. *Usque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur;* hoc est, juxta Aug. l. 1. de peccatorum meritis c. 10. *ignorabatur;* seu peccatum esse non putabatur. Et generatim Apostolus, dum alloquitur Gentiles jam conversos, nusquam eos excusat, sed supponit fuisse peccatores. In his omnibus nisi quis expressam afferat exceptionem, manet sensus generalis; nullas autem huc usque attulit aliquam. Ita Steyartius in append. ad 1. p. Aphorism. quaest. 3. R. Scripturam loqui de Gentilibus, qui peccaverunt formaliter contra legem naturae, & ideo virtualiter saltem cognitam, seu vincibiliter ignoratam, & hi omnes sine exceptione procul dubio sunt inexcusabiles; unde ad veritatem conclusionis nostrae non est necesse adferre aliquam exceptionem verbis Scripturae. At non dicit Scriptura, eos omnes, qui aliquid, quod quovis modo repugnat legi naturae, egerunt, semper peccasse formaliter contra legem, & esse inexcusabiles.

Obj. 2. cum eodem varia Scripturae loca, quibus promittitur illuminatio, sapientia, cognitio, &c. his, qui debite se disponunt, & faciunt ex gratia quod in se est. Sed jam respondit supra, haec esse intelligenda de cognitione eorum, quae sunt nobis sciri necessariae necessitate mediè ad salutem, & sine quibus peccatum formale cavere non potest; alioquin, cum Scriptura loquatur generaliter de illuminatione, & intelligentia, sequeretur, quòd Justis, & Sanctis nulla cujusvis le- gis etiam positivae divinae, & humanae cognitio denegetur.

Inst. Ps. 4. sic legitur: *Mult dicunt, quis ostendit nobis bo-*

